


DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO.

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis 26. Novembris M. DCC. XXXIX.

M. CAROLO DIONIS,
Doctore Medico, Præside.

An Paralysi affectis Sudores promovendi?

I.



ONVULSIO & Paralysis omnia nervorum παθηματα comitantur: illâ contenduntur nervi summo cum doloris cruciatu, hâc relaxantur citra ullum doloris sensum: adversi omninò hi duo affectus cohærent quandoque, unáque existunt: hujus ut & illius causa multiplex; atque illa est morbus, similaris organicus communis. Paralysim sæpius parit obstructio familiaris nervis, utpotè quibus laxior est substantia, cerebro affinis. Cum

nervi humore infarciuntur calido, frigidove; tenui, vel crasso, non admittunt animalem spiritum, quo uno vigent; undè languent illi, quin & torpent eæ partes, in quas distribuuntur, ut nec movere nec moveri queant, quandoque etiam sentire non possint.

I.

HUMOR paralysis parens, è cerebro, non-nunquam è visceribus, plerumque è venis, ortum habet. Cerebrum tenuioris & serosi humoris fons est uberrimus; is excurrens per varias corporis partes, innumeros morbos, eosque graves procreat, convulsionem, paralysim, asthma, febrem, lienteriam, arthritidem: non leviores morbos profert in ventriculis cerebri consistens; hos enim si intercludat, oboriuntur Apoplexia & Epilepsia, graves adeo affectus, ut ægros pessumdent. An non illa, paralysis censenda? Quidni? cùm motum unáque sensum omninò adimat, adeòque corpus universum resolvat, ut talis sit in universo corpore Apoplexia, qualis est in dimidio ἡμιπληξία, in singulis partibus παραπληξία? Mesenterium viscerum quasi sentina est; grave illud excrementis, deponit quandoque onus in lumborum nervos, undè incidit Paralysis, quam ferè antecedunt diri ventris cruciatus, colici doloris æmuli: ut & hi vicissim Paralysim consequuntur, bilis quasi æstu reciproco. Venæ adjacent nervis, ut si quando illæ impuro turgeant sanguine, quasi nauseabundæ in propinquos nervos eum evomant. Sua quoque nervi impertiunt venis vitia; convulsio solvitur liberali urinâ, ita ut facilis sit venarum & nervorum sympathia.

II.

GUAIACUM, sassafras & alia innumera quæ perhibentur sudorifica, calore excellunt, & tenuitate partium pollent singulari; adeòque colliquandi vim obtinent, ita ut coaguli vice fungantur, cujus vi crassior lactis pars coalescit in caseum, tenuis & serosa effluit: fundunt siquidem sanguinem solvuntque in serum, & quod in sanguine crassum est, ita cogunt & densant, ut illa non sint alia ab ureticis: sanè sudoris & urinæ eadem materia, idem generationis modus. An ut uretica uberem seri copiam progignunt, urinam verò non cient: sic quæ habentur Idrotica, sudori duntaxat materiam abundè suppeditant, sudorem non movent? Guaiaci quidem liberali etiam potu, sudor nunquam prodiret, ni ille vaporariis & corporis operimentis provocaretur. Atque ut uretica tophaceis concretionibus, (quæ fiunt in

renibus & veſicâ) diluendis nocent plurimùm: Sic Idrotica illa vulgaria, eo quo præſtant calore, ſolvendis obſtructionibus omninò adverſantur.

I V.

VIM habent promovendi ſudoris quæ foris ſummum corporis habitum calefaciunt, unàque cutem ſolvunt & relaxant, putà è calidâ fotus, foculi in lectum ſtragulis munitiſſimum, & arte arcuatum immiſſi. At his non eſt ſudor temerè ciendus: hic exolvit vires, exhaurit corpora, nec enim ſudore erumpit duntaxat ſerum ſuperfluum, prodit unà ſuccus alimentarius, non nihil etiam ſubſtantiæ ſolidarum partium effluit: languida ſudore natura, morbi curationem ſuſcipere, aut ſuſceptam abſolvere nequit, ut longo tempore morbus moretur, vel breviori ſit rediturus: ſæpius noxii humoris nihil exprimitur, accenduntur duntaxat ſpiritus, inflammantur humores, & concitantur, unde febres, catarrhi moventur. Sudori longè præſtat ἐφίδρωσις & ea quidem in iſchiade, παραπληξία cæteriſque partium affectibus ἀρθριτικοῖς tentenda, ut ſine virium diſpendio & corporis perturbatione, vel ſenſim exudet inutilis humor, vel ſine ſenſu expiret.

V.

FACILI negotio curatur Paralyſis, ſi maturè, opportunè, nec aliena adhibeantur remedia. Ergo parte recèns reſolutâ, vix dum inſidente nervis humore, inſtitutâ victus ratione quæ contemperet, quàm primùm corpus exhauriendum eſt clyſtere frequenti, detractione ſanguinis aliquot intervallis repetitâ, purgatione crebrâ, ſed blandâ: hac arte æſtu humoris compoſito tempeſtivè obſtructio reſerabitur ecphracticis, eccatharticis, quibus qui nervum occupat humor, inhalitum ſolutus expirabit: demum expeditus nervus firmabitur adſtringentibus quibus minimum caloris inſit. ἐκφράξιν molientur, & humoris qui obſtructionem continet, juvabunt excretionem, medicamenta cùm foris admovenda, tum intus ſumenda, quæ temperato calore prædita tenuiorem ſunt ſortita conſiſtentiam. Expiratio procurabitur reſolutæ partis fotu, motu, frictionibus, quæ & ad robur parti conciliandum longè præſtant balſamo etiam Peruviano. Nervalia vulgò dicta calidiora, Theriaca, Mithridatium, Aqua-vini ſtillatitia, Uretica, Idrotica præcipuè Chymica, verè fuſoria, & col-

liquantia, aliena ſunt, & Paralyſis curationi adeò adverſa, ut illam contumaciorem (ne dicam incurabilem) efficiant.

Ergò Paralyſi affectis ſudores non promovendi.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI,

M. Guillelmus - Hieronimus de Lepine.

M. Ludovicus - Hieronimus Coſnier, Pharmaciæ Profeſſor.

M. Nicolaus le Roy de Saint Aignan.

M. David Vaſſe.

M. Claudius du Cerf.

M. Benignus Winſlow, Regiæ Scientiarum Academiæ Societatiſque Regiæ Berolinenſis Socius, Teutonicæ Linguæ Regius Interpres.

M. Ludovicus - Joannes le Thieuillier Regis Conſiliarius, & in Majori Conſilio Medicus ordinarius.

M. Andreas-Joannes Seron.

M. Antonius Pepin Regis Conſiliarius, & in Portu Breſtenſi Medicus Primarius.

Proponebat Pariſiis, LEANDER PEAGET, Pariſinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1739.
à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1739.